



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

2. Monstrositas vultûs occasio est pœnite[n]tiæ agendæ, &
co[m]mendandæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

1. Cor. 10, 12.

magis timeas omnipotentem, cum alio illum rege compara-
Salomon à teneris vnguiculis fuerat piè educatus, & religiosè
vixerat; quin tantæ fuit iustitiæ, quantæ sapientiæ; in senio
tamen à mulieribus deprauatus, idola coluit; qua de caussa,
multi eum esse Orco addictum arbitrantur. Nimirum *qui stat,
videat ne cadat*. Nabuchodonosor autem, qui in sceleribus
omnem vitam traduxit, in fine vitæ conuersus est, æternum
inter beatos futurus; vt nemo desperet, aut dicat, actum de-
se esse. Ad hoc ex rege hoc monstrum factum est, vt discere-
mus, è monstris homines, immò reges fieri posse. Lucrosa est
metamorphosis, vbi pœna pœnitentiam operatur.

II.

Io. Nider. l. 2.
Form. c. 9. &
lib. 4. c. 10.

Et sæpe pœna non tam pœna est, quàm medicina, &
commendatio diuinorum Sacramentorum. *Novi aliquando no-
bilem & deuotum militem* (ait Ioan. Nider, quem alio loco
Boarum nominat, & tanquam sanctum militem, cui quinque
annis ante obitum mors sua fuit reuelata) *qui uxorem pulchram
habuit deceptam occultè paulisper à quodam adultero, cui satis con-
glutinato amore affecta, & infecta erat. Expertus illud miles ma-
ritus prudens, qui animam perdita uxoris curare volebat, secretè
uxorem accersuit, vultum eius (vt mihi miles retulit) horridum
nimis vidit; ei sanctis & pijs monitionibus contritionem super scelere,
& pœnitentia Sacramentum suasit; & per Dei gratiam ad hoc exe-
quendum vsque perduxit. Quo factò & sacramentali sumpta pœni-
tentia à sacerdote recedens, casto marito militi visa est pristinam re-
cuperasse faciei speciem totaliter, quam antea sensibiliter perdidisse
videbatur*. Hæc ille. Ac sanè conscientia sæpenumero per-
vultum emicat, vt si illa patiatur tempestatem, etiam rugæ in
frontem, & nubila in oculos veniant, respondeantque teter-
vultus, & teter animus. Et vult Deus vel in corpore subinde
ostendere animæ deformitatem. Quod si autem pœnitentiæ
Sacramentum hanc in corpora vim habet, quantam habebit
in animas, quam non in illas reducet venustatem? cum ex illis
tollat peccatum? cum omnem maculam emaculet? cum in-
eam gratiam reducat? cum charitatem resuscitet? cum iusti-
tiam, omnemque virtutem moralem ei restituat? qui virtutis
chorus, est verus nitor, & vera mentium pulchritudo. Mirum
est,

est, hominem, ut hominibus placeat, nolle esse vultu monstrum; & ne Deo displiceat, non curare animæ suæ monstrositatem.

Sicut autem, dum medici morbos curant, morbi vicissim medicos commendant; ita fit in diuinis Sacramentis, dum sanant prodigia, fiunt prodigiosa. Neque ea vis soli est Sacramento pœnitentiæ. Baptismus quoque ut hoc genere inclaresceret, & morbos fœdos pepulit, & deformitatem. An. 1298. Rex Tartarorum Cassanus, quem Magnū vocant, cum ducentis equitum millibus Syriam finitimasq; regiones occupauit. Facta est tanti victoris potentia omnibus formidanda. Quare Rex Armeniæ, quamuis Christianus, eius viribus exterritus, non ausus est filiam suam illi negare, quam in matrimonium poposcerat, quia pulcherrima esse dicebatur. *Ille, post aliquod tempus, è viro suo Cassano edidit in lucem partum tanta deformitatis, ut rex maritus nullo modo illum veluti suum voluerit agnoscere, quod monstrum videretur. Vocat ad consilium primarios: de ipsius sententia uxorem veluti adulteram, partum veluti ex adulterio susceptum ultimo supplicio adiudicat. Quo fugeret innocens mulier, nisi ad innocentiam defensorem Deum? Itaque deplorata sua infelicitate ad preces sacras se contulit, illi quæsta iniuriâ, cui soli cognita erat iustitia causæ. A precibus ubi surrexit, ignara cõsilij, quouie regente duceretur, saltem rogauit, ut sibi prius quàm moriendum esset, liceret sacris vndis abluere eum, quem peperisset. Annuit rex, deditq; id faciendi potestatem; ea tamen lege & conditione, ut adessent baptismo aliqui fidei spectatæ viri, vnâ cum rege, ne qua fraus intercederet. Mira res: quàm primùm baptismo tinctus est puer, adeo repenti venustus formosusq; apparuit, ut rex prodigij magnitudine permotus, cum plurimis satraparum, qui aderant, plebemq; sibi subiectam post se traxerant, manus nominq; Deo dederit, maximumq; rei Christianæ factum sit incrementum. Quis neget hanc vim baptismo? cum penetret vsque ad animæ labem abluendam, cur non & corporum menda posset, Deo iubente, emendare?*

Quod si puer iste non fuit satis monstruosus, alia super-

Hhhh 3

sunt

III.

Thom. Bez.
tom 1. de
Sign. Ecclef.
l. 1. c. 16. ex
Io. Villano.
lib. 8. cap. 35.
Anno 1298.

IV.